

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Nathan Chyträus

**Memoriæ Illvstrissimæ Principis Et Dominæ D. Elisabethæ, Friderici I. Daniæ Et  
Norvvegiæ Regis Filiæ : Inclvtæ Conivgis Opt. Et Illustrissimi Principis ac Domini  
D. Vlrici Dvcis Megapolitani ... Threnodia Nathanis Chytræi**

Rostochii: Myliander, 1586

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1738760871>

Druck    Freier  Zugang





Cc-4447a1-8





MEMORIAE  
ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPIS  
ET DOMINÆ.

D. ELISABETHÆ,  
FRIDERICI I. DANIAE  
ET NORVVEGIÆ RE-  
gis Filiæ:

INCLVTÆ CONIVGIS OPT. ET  
Illustriſimi Principis ac Domini

D. VLRICI  
DVCIS MEGAPOLITANI, PRIN-  
cipis Vandatorum, Comitis Suerici,  
Domini Rostochij & Stargar-  
dia &c. Domini sui  
clementissimi.

THRENODIA  
NATHANIS CHYTRÆL

Sc

Sc

ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.

ANNO

M D C X C V I.





# THRENODIA.

**H**ocne etiam fuit in fatis : hoc flebile rebus  
Defuit afflictis damnum, ut prima-  
ria mater  
Languentis patriæ, & nostri Ducis  
inclusa coniux,

Ulrici Ducis haud ulli virtute secundi;  
Dulce decus nostrum, & columen commune salutis  
Terræ ad Varnum, Regem intusura, dolosam  
Traijceret Balthen, heu sic reditura, suorum  
Cum tanto fletu & gemitu: attonitoq; stupore  
Principis orbati fida consorte piacq;  
Sola oculis formosa eius, carissima cordi  
Quæ fuit, & longa longè dignissima vita.

Promite lugubres mea carmina promite questus:  
Nunquam etenim vestris vel iustior ulla querellis  
Causa fuit: iacet en animæ, non frigoris expers  
Elisabetha Ducis vita, atq; corona mariti.  
Sed nec sola iacet: iacet vna frater Adolphus,  
Cimbrorum caput & dux. sic tempore eodem  
Cimbria patre suo, Megalepolis orba parente  
Ingemit, atq; urbes & rura vulnibus implet.

Promite lugubres mea carmina promite questus

A. 2

Non

Non hoc de nihilo est, aut non portendit acerbos  
Amborum populis casus, turbasue doloresue:  
Historia que teste neces & funera regum  
Non raro sunt multorum cum clade secuta.  
Quae Deus in Moscos, Turcas, sauos & Iberos  
Transferat a nobis, votis lacrymisq; piorum  
Placatus saepe, & posthac placandus; honesto  
Ex animo modo proueniant, qui tanta perosus  
Crimina, se in melius vertat, veniamq; precetur.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Sed frustra haec mecum usq; uno hoc tempore verso,  
Quo medio in luctu, circumq; strepentibus armis,  
Et patria, mundoq; ipso minitante ruinam,  
Luxuria, ebrietas, chorea, violentia sedem  
Et nunquam stabilem fortita superbia regnant.  
Quo peccare omnes certant: peccata faciri  
Nemo potest: vitam nemo emendare laborat,  
Ut scelerum granitas, & fata instantia poseunt.  
Ergo etiam penas iam non procul esse necesse est.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Hei mihi qualis eras, salua cum coniuge Baliben  
Traieceres vtrice potens! tum nulla doloris  
Indicia aut planctus (taceo præfigia cordis  
Soli nota tibi, nostris non peruita ocellis)  
Nulla querellarum aut lucius monumenta patebant.  
Ridebat eccliam, & placidi pellacia ponti:  
Varnigenæ stratum mulcebant æquor olores:

Halcyon

Halcyones quibus è scopulis responsa ferebant.  
Tu Neptuni instar per vitrea marmora regis  
Naue vehebaris uelis remisq; decora,  
Cui nomen Gedeonis erat. carissima coniux  
Elisabetha tibi formosæ Thetyos instar  
Dextra latus claudens , non sic redditura , sedebat.  
Ad Gedeona ampio circumdatus agmine Nereus  
Delphinum exultabat ouans : nec concha sonori  
Buccina Tritonis , nec Sirenum æmula voci  
Carmina Nereidum plausu cessante filebant.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Non pompa hæc diuturna fuit , non gaudia pompæ  
Vera & firma fatis. mare vos , Austerq; secundus  
Sat placide siquidem, Boreæ cessante, uchebant :  
Pandebat faciles Danorum in littore portus  
Gyssora, suscipiens vultu Ducas agmen ameno :  
Verum non simili affectu missura reuersum.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Hæci quisnam infidas Austræ has metuisse , dolosq;  
Gyssora seu tuos potuit satis ? impete fausto  
An tibi tum libuit tres tantum aut quatuor horas  
Spirare, optato & Gedeonem sistere portu ?  
Ut mox collectis quasi viribus acer, eundem  
Aggrederere ferox, gemino & iam mense teneres  
Pene unus mare, vel Borea violentior ipso :  
Qui pugnare tibi, minor in certamine tanto, &  
T'am longo , haud potuit: sicq; Elisabetha suorum

A 3

percus-

Hinc  
Pluxi  
Tun  
Tot  
Tuca  
Tot  
Tuca  
Opp  
In p  
Tu  
Op  
De  
Qu  
Fo  
N  
Sa  
Q  
A  
B  
C  
D  
E  
F  
G  
H  
I  
J  
K  
L  
M  
N  
O  
P  
R  
S  
T  
U  
V  
W  
X  
Y  
Z

Percupida, unanimi cum principe sistere gressum,  
Et redditum differre fuit compulsa, morasq;  
Necesse difficiles sibi lethalesq; futuras.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Quid mibi vobiscum & o venti furiosa Gigantum  
E scopolis sata progenies: iunica saluti  
Fortunisq; hominum toties: quando incita magno  
Cum fremitu vis vestra surit, pontusq; minaci  
Murmure cum rabieq; undas ad sidera tollit:  
Aut scopulo alludit: fluctusue in littore frangit.  
Tum nautae exanimes, & onustae mercibus Indis  
Intercunt naues: tabulae referuntur inanes:  
Cum mergis fulicas eiecta cadauera pascunt.  
Sin terris eadem incubuit, tum turbine montes  
Verberat, & positas altis in montibus arcet:  
Tum turres urbesq; quatit: tum in collibus ornos  
Silufragis vexat fabris: celsasq; cupressos,  
Et ruit annofo duratas robore quercus.  
Deniq; tum mare, tum tellus, tum mobile cœlum  
Verritur, & gyro hoc illuc raptatur anhelo.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Quid mibi præcipue tecum o lacrymabilis Auster,  
Plumbee, morborum aduector, raroq; salubrem  
Aera mortificis referens hue lapsus ab oris.  
Namq; humens calor ille tuus tardosq; grauesq;  
Nos facit unde aures, oculorum et lumen hebescit:  
Segnia languescunt in toto corpore membra.

Hinc

Hinc multos vertigo rotat, capitifue grauedo,  
Fluxibus aucta suis, lentisq; armata catarrhis.  
Tu nostris à littoribus velut inuidus arces  
Tot bona, tot merces humanis usibus aptas.  
Tu caris à coniugibus, natisq; tenellis  
Tot patres prohibes moestos, cupidosq; reuerti  
Nequicquam. tu tot iuuenes in littore nobis  
Opposito retines, incaſum vota ferentes,  
In patriam tandem ut redeant Aquilone secundo.  
Tu cerebrū & mihi molle grauas, hoc tempore fru-  
Optanti & cupido melioris carmina venæ (stra  
De tam tristifico meditari & scribere luctu:  
Quæ cœli ut genium referant moeſtum atq; malignū  
Forte vides, qui nostra legens meliora requiris.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Nam tibi quos Boreæ cynosure à vertice flatus  
Sæuos, horrificos, cum vi rabieq; fluentes,  
Quas diras tibi, sic merito, quos nam imprecer utres,  
Aut ferro, aut chalybe, aut inuicto adamante ligans  
Non tibi sufficiunt Nilotica regna Canopi? (dose  
Non satis Iōnium tibi se, non Adria pandit?  
Et placide excipiens Siculus tua flabra Pachynus.  
Quid tibi cum regnis Boreæ & glacialibus ursis?  
O Note, iam mihi note nimis, quem rectius eſset  
Et melius plane ignotum hac ratione ſuiſſe.  
O Note qui autumno pelagus iam inuertere toto  
Ausus es, & patriæ patrem, nostræq; ſalutis,

Sic statuente Deo, columnen, Musisq; patronum  
A patrijs tam arcere diu regionibus, istic  
Ut morbo correpta eius prius incluta confors  
Mox etiam oppeteret Danorum in littore mortem;  
Quam sese optatis cum coniuge reddere terris,  
Et reditu exhilarare suo late omnia posset.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Quid tibi tunc animi dia Elisabetha fuisse  
Crediderim? quando neptisq; & filia, & uxor,  
Et nurus, & socrus regum: & celeberrima tante  
Regine genitrix: natorum & Rege nepotum  
Tanta auia, à teneris arces & limina regum  
Sueta frequentare, atq; epulis accumbere regum:  
Regum sueta toris stratisq; cubilibus uti:  
Quando, inquam, hospitio in modico, prope littora  
Iratiq; maris fremitū, horrisonasq; procellas (rauca  
Decumbendum ægræ fuit incertaq; salutis.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
An non credibile est, has te effudisse querellas  
Cum gemitu et lacrymis animi? Quid sanguine regum  
Esse satam mihi nunc prodest? nupsisse duobus  
Quid mihi principibus fama super æthera notis?  
Quid Sophiam mihi Reginam peperisse? quid altas  
Incoluisse arces? quid opes tenuisse per amplas?  
Quid titulos tot magnificos audisse? quid auro  
Et gemmis vestes grauidas habuisse? quid ægris  
Pharmaca collegisse alijs? quando omnia plus quam

Vana

Vana fuisse patet. mors æquans omnibus omnes  
Cum pariter regum turres, inopumq; tabernas  
Pulset, & æquali sternat quæq; obuia falce.

Promite lugubres mea carmina promite questus.

An non credibile est iunxitse prioribus illis  
Hæc etiam. ô ubi nunc veterum mihi turba clientū,  
Subdita turba mibi? tot nobilitatis autem  
Sunt ubi matrone, & florenti ætate pueræ?  
Quas quandoq; habui salua & bene sana ministras.  
Nunc extremitate illis ubi opus foret, ecce furenter  
Meq; ipsasq; inter seuis mare fluctibus ardet,  
Traiectumq; vetat. sed quid præsentibus illis  
Vsq; adeo hic opus est? generi præsentia Regis,  
Reginaq; fides, oculis cui carior ipsis  
Mater amica fui, contra cum spicula mortis  
Nil valeant: nihil officium lacrymæue mariti,  
Quantumvis cari, & fido mihi corde propinqui:  
Nil medici aut medicina iuuent. tu Christe salutis  
Ancora sacra mihi: tu tu seruator Iesu  
Unica tu mihi spes, de sacriss suis uiter olim  
Hausta voluminibus, quorum iam sentio fructum  
Verè saluificum, à rebus deserta caducis.  
Hic mihi, dum patrijs à sedibus arceor austrijs  
Aduersis, veram in patriam portumq; salutis,  
Quæ peto, quemq; breui Zephyris intrabo secundis,  
Lintea se pandunt, nullis remoranda procellis.  
O hominum pompe, fastusq;, & falsa valete

A 5

Gaudia

Gaudia, & in luctus vertende o luxus acerbos.  
O merito pietas homini augustissima virtus!  
Vnica quæ præbet contra ipsam pharmaca mortem.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Quid tibi iam prodest o Elisabetha, quod intræ  
Vnius ægra anni spacium tot funera fido  
Deplorasti animo? quando vel Cimbricus ille  
Frater Ioannes, canis venerandus, & alma  
Iniqui pietate animi succumberet: aut cum  
Saxonis Anna tibi dilecti filia fratris  
Christiade, Augustiq; Ducis celeberrima coniux,  
Atq; ipse Augustus paullò post mortuus eßet.  
Siue etiam affinis quando Ursula Ribnicensis  
Clarani cecidit generosa antistita templi,  
Compluresq; alij heroo de sanguine nati.  
Namq; illis dum tu inferias, dum iusta rependis,  
Pes tuus ad metam tacite peruenit eandem.  
O anni, o menses, o tempora regibus, ehen  
Et doctis quoq; sæua viris! amplissima quorum  
Hoc anno cecidit series. o inuida genti  
Cimbrorum imprimis Octobris lumina! vernalis  
Qui licet hoc violas anno produxerit hortis  
In nostris; tamen hoc nihil mansuetior, una  
Falce duos patriæ pulcherrima sidera flores  
Sustulit, antiqua Cimbrorum stirpe creatos.  
Ceu plures alios eiusdem gentis alumnos,  
Vix pridem elapsis annis iugulare duobus

Aus

*Aut tribus, haud veritus, luctus cumulauit acerbos.*

*Promite lugubres mea carmina promite queslus.  
Quod si etiam extincti germani fratri Adolphi  
(Huic quoq; nam Octobreis moriē admouere calen-  
Elisabethæ Idus) nostra heroina fuisset (dæ,  
Conscia iam morbo languens, mortiō propinqua;  
Hei mibi tam magnis ô quanta accessio facta  
Luctibus inde foret! quanta admiratio! quamue  
Atonitus stupor, & meditatio cernua duri  
Vsq; adeo in gentem hanc, uno quasi tempore, fati.  
Felix o nimium dia Elisabetha; vel ipso  
Tempore morborum tam scui nescia casus  
Quæ fueris, tantiq; expers moritura doloris.*

*Promite lugubres mea carmina promite queslus.  
Hoc tamen ad mortem arcendam nil profuit egræ.  
Namq; obitum hunc fratri licet ignorarit Adolphi;  
Est tamen illum ipsum nullo remorante secuta:  
Cumq; illo nunc ad metam peruenit eandem,  
Si mentem atq; animum spectes. sin corpus; id ipsum  
Ferali impositum capulo, septumq; tenebris,  
Nocte adeo tota, & lucis quoq; parte sequentis  
Iactatum hic illuc, eadem & vestigia in orbem  
Actum s̄a pe terens, diuersa furentibus Austris,  
E Aſſidet exanimi dum lamentabilis heros:  
Heroiq; instar fidi Bordingus Achatis,  
Cum Baſcuitio, & reliqui gregis agmine præsto est.  
Vno in nauigio, r̄im ventorum inter & undas,  
(specta-*

( Spectaculum ô nimis infelix, ipsiq; vel hosti  
Flebile) multa gemens, ceu compare turtur adempto,  
Diriguisse putas, ita toto corpore languet ॥  
Vix ægre optatum tandem contingere portum  
Per resulas potuit turbatasq; æstibus undas.  
Vsq; adeo extinctæ quoq; cuncta aduersa fuere.  
Quam quinta luce, exsequias post fratri Adolphi,  
Iam gremio excipiet tellus pia mater amico.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Hei mihi qualis eras ô Elisabetha serenum  
Trajiciens pelagus ! quantum misera reuertis  
Matrona à Dominaq; illa , quam Vandala nuper  
Gens pro matre habuit : fausto pro fidere princeps.  
Nunc volucres nymphæq; silent ; obmutuit vdi  
Buccina Tritonis : lacrymis imamabile cœlum  
Difflit : ostentant cultros & stamina Parcae :  
Et circum dira frontem redimita cupresso  
Ingerit horribiles pallens Libitina querelas.  
Tu resupina iaces loculo conclusa, rigensq;  
Nil oculis, nil ore nuens, nihil aure vieta  
Percipiens : labris & toto lurida vultu :  
Cerato tantum & tenui circumdata bocco :  
Et proprius si quis videat mera mortis imago.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Hei mihi qualis eras, ô Dux Ulricë, uadiso hoc  
Littore digrediens , bene sano in corpore , sana &  
Læta mente valens ! qualemq; redire per æquor,

Orbatum

Orbatum quasi parte tui, incertumq; salutis.  
Cernimus attoniti tecum & mœroribus ægri:  
Et minimè ignari quanti te referat usus  
In patriæ innumeros, velut hoc fulcimine nixæ,  
Incolumem superesse diu, vitaq; potiri.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Cyssora saua vale, & ruggosi frigore circum  
Ruricole tecum valeant: deserta valete  
Littora, ubi vitam nostra Elisabetha coacta est  
Linquere, & in patriam corpus sine mente reuerti.  
Non silvas philomela tuas; non intret alauda  
Dulcis agros: satis esto tibi feralia diri  
Carmina bubonis, noctisq; audire volucres.  
Non lepores, capreæc tua pascantur in acta:  
Non ibi ramosi videantur cornua cerui:  
Non ros prata riget: non flores prouocet humor  
Stillantis pluiae. tanti monimenta doloris  
Sint agris impressa tuis: quæ nulla vetustas  
Temporis aut fati venturis deleat annis.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Hec loca nec princeps, nec magni nominis heros,  
Non Rex ipse potens, sed nec Regina, nec ipsa  
Regia progenies, tanti spes incluta regni,  
Villa nec antiqui flos stemmatis heroina  
Vnq; adeant: nimiumne diu circum illa morentur.  
Quando ea, si liceat, non id prohibente leboua,  
Non sint forte minus grauia aut funesta futura

Olim

Olim alijs, quam nunc nobis nostrisq; fuerè  
Principibus, patriæq; ipsi, quæ funera matris  
Moesta suæ lugens, urbes agrosq; querellis,  
Lamentisq; adeo funebribus æthera complet.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Scilicet hoc, hoc illud erat, quod vidimus ipsam  
Nauim ingressuram dextra gestare libellum  
Forte sacris plenum precibus; vitreamq; sinistra  
Mathinulam ( clepsam midion dixere nouelli )  
Crystallo ex duplice factam, plenamq; minuti  
Pulueris, aut etiam sensim elabentis arenæ.  
Defluit quæ celeris spectantibus indicat horæ  
Momenta. haud aliter siquidē longè optima princeps  
Ad finem properare sue data tempora vite  
Indicio ipsa fuit, licet ominis inscia tanti,  
Tamq; repentina. nec nos præsaga futuri  
Signa sefellerunt, oculis quæ vidimus ægris:  
Quæq; adeo timidi fidis auertere votis  
Conati suimus nequicquam. effluxit arena  
Tam fragilis vitri: vita quam pausa secta est  
Princeps magna tuæ. fuit illa simillima vitro:  
Quod cum sit fragile, à fracto discrimine nullo  
Distat, et hoc ipso nostri quoq; floris imago est.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Quid tibi tunc animi fuit optatisime princeps?  
Ante oculos quando illa tuos genebunda iacebat,  
Auellenda breui: veluti est aulsa reapse

Ex ock-

Ex oculis vlnisq; tuis. Quid deniq; vitam  
Quando exhalantem, supremo in mortis agone,  
Consortem æquæuam adspexti rigidusq; stupensq;  
Et vitæ ignarus propriæ. tibi numquid imago  
Tum subiit mortisq; tue, mortisq; tuorum?  
Et viduata domus: matris viduata fideli  
Alloquo Regina gemens: auiaq; nepotum  
Progenies spoliata, pio quam corde quotannis  
Visere, & oblato xenio exhilarare, simulq;  
Virtutum ad studium cupidè inflammare solebat.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
An non sic tecum, o luctu afflittiſime princeps,  
Illa ubi concideret? sic me Elisabetha cupitam  
In patriam iam nunc reducem miseranda relinquis?  
Husq; locis? quid commerui tam lugubre de te?  
Tam graue? num postq; iam lætior aura subiret,  
Te mala fata mihi cano inuidere, senectæ  
Nil miserata meæ, heu nostris fata inuida votis.  
Heu pelagi mecum nequicquam ercta periclis  
Multoties; tibi si tandem nihilominus isto  
Vita fuit ponenda loco. eheu flebile cordi  
Discidium lethumq; meo, tot tristia cuius  
Vulnera non ullo quisquam mihi leniet æuo.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Quid vero patrias delatum rursus ad arces  
Te sensisse feram? tibi cum templum, aula, cubile,  
Et domus, & mensæ, cumq; ipsis porticus hortis,  
Et nemos

Et nemora, & villa, loca deniq; singula vulnus  
Grande tibi facerent quasi recrudescere, nondum  
Alloquo dulci, aut sacris medicabile dictis.  
Quod pandi magis, atq; modo diducier isto  
Sensit, dum simul hæc tecum sub pectore versas;  
O mihi sola super fide confortis imago,  
Quocunq; aut faciem, vel tristia lumina vertam.  
Hic mecum illa suas placide conferre loquelas;  
Blandisonis hic tristitiam depellere verbis  
Est solita: hic etiam dare nectaris æmula melli  
Asia, & amplexu obstreperis cito pharmaca curis.  
Verum ubi nunc ea soliuagus viduusq; requiro  
Ne quicquam? tenet illa suam irreuocabilis urnam:  
Et mihi sollicito, simulacrum præter & umbram,  
Dulce sui pignus tamen, haud quidq; amplius offert.  
Quæ quoties menti trepidæ obuersatur imago;  
Et toties ego; sic olim mea vita, mecum cor  
Lumina, sic faciem, sic ora genasq; ferebat:  
Sic roseas fidiasq; manus, sic membra decora.  
O mea si mihi nunc foret Elisabetha superstes,  
Quam pulcre æuali mecum canesceret ævo!

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Tug; adeo imprimis Megale—polis orba parente  
Et rectrice tua, cui nulla priora priorem  
Seclæ dedere tibi; vix posteriora videntur  
Esse datura parem; cum funesto ingeme planctu.  
Nam tibi vel pietas, vel ingeniosa sagaxq;

Inq;

Inq; adeo cunctis miranda industria rebus;  
Vel casti dectus ac studium solemne pudoris;  
Aut odium scelerum, fraudum & culpabilis oti;  
Digni aut spectentur tam clara principe mores:  
Aut etiam sermo, & maior prudentia sexu:  
Omnia summi ista, & verè communia paucis,  
Hac in matrona & Domina cumulata fuere.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Non facile intuenias multis è millibus unam,  
Cui matri uxoriq; sue prope singula cautè  
Tam fuerint distincta domi, tamq; ordine recto  
Omnia digesta, & studio peragenda fideliter  
Munia; seu sobolem spectes, vernasue, pecusue:  
Sive hortos, ipsamue penum, cellam atq; culinam:  
Quam nostræ huic eadem tota in regzone fuere  
Et nota, & bene gesta piae, mirabile, matri.  
Illa docebat opus quid ubiq; quid utile factu:  
Illa urgebat opus: coram obiurgabat inertes  
Ignarasq; nurus. quin segnis Apraxia somno  
Dum matutino indulget; nostra excta presto  
Nunc operis, nunc agricoltis, pecudumue magistris  
Improuisa aderat, procul esse putata; suisq;  
Omnia perspectans oculis, laudabat amicè  
Quæ laudanda forent: cessantes saepe monebat  
Officij: indociles insectabatur alacris  
Verboribus lingue, aut alijs pro tempore paenit.  
Hinc passim feruebat opus: nec prorsus inertis

B

Segni-

Segnitiae locus ullus erat, nimioue sopori.  
Et licet hic quis forte putet longe ista minora;  
Quam quae reginam deceant, patre rege creatam:  
Talia sunt tamen, ut patriæ, dociliq; iuuentæ,  
Permultum et profint populo: quem exempla regentū  
Plus persæpe mouent, quam cerebræ sanctio legis.  
In castris nam si ducibus, si regibus ipsis  
Eximiæ hoc laudi est; si munia quæq; minutæ  
Visa licet multis, obeant non segniter ipsi;  
Ignaris interueniant; nunc agmine primo  
Nunc in postremo, medioue sagaciter adsint:  
Admoueantq; manus operi, si id postulet usus:  
Ecquis in his operis pacis, castrisq; togatis  
Reginæ virtus vertat; si matris ubiq;  
Officium faciens, ad idipsum impellat amicè  
Suppositos sibi præfatos, matresq; nurusq;  
Disciplina quidem fuit hæc valde utilis oræ huic  
Littoreæ ad Varnum, Neuelam, Balheniq; sonoræ.  
Inde viris castæ uxores, rerumq; peritæ  
Officium quas semineum, & pia cura requirit.  
Hinc operum patiens, & non corrupta iuuentus  
Luxurie educta est, rebusq; assueta gerendis:  
Vnde virum, frugiq; patrem morata puella  
Et domus acciperent; similem et Respublica prolem,  
Spem decoris, florisq; sui, gentisq; futuræ.  
Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Et vos imprimis ô nobilitate puellæ

Conspi-

Conspicua, & quondam suetæ apparere nuenti  
Semper Heræ: quæ materno vos mitis amavit  
Affectu: exemploq; suo, dictisq; verendis  
Flexit in obsequium, & placide vos moribus aurcis,  
Ceu nunquam indecores genti patriæq; futuras,  
Imbuit, ut virtus pulcrum decoraret amictum:  
Formosa & facie pia mens formosior esset:  
Ornaretq; bonos adiuncta modestia mores.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Huic olim decor, & lepidis affusa labellis  
Gratia sic linguam; ingenium clementia mitis  
Sic mite excoluit: non ut Sophonisba, sed æqua  
Esthera mente foret, causa in meliore patrona  
Innocuis & supplicibus: blandisq; maritum,  
Quando opus, obsequijs non infacia fletere: ut olim  
Iratum Abigale norat mollire Davidem.  
Fax belli nunquam illa fuit; sed pacis amica:  
Iustitiæ cultrix: & cui quasi publica cura  
Esset honestatis semper morumq; honorum.  
Nunquam contemptrix inopis: nunq; ebria dulci  
Fortuna, rebusue animo sublata secundis.

Promite lugubres mea carmina promite questus.  
Non illam coeli immemorem, mortisq; fuisse  
Indicat è massa stanni, laminaq; sequaci  
Feralis capulus, quem dudum viua valensq;  
Ipsa sibi fieri voluit: quo nunc quoq; victa  
Morte cubat, sperans melioris gaudia vite.

B 2

Vijce.

Visceribus quin integris cubat integra; quando  
Tunc quoq; cum occideret partes velare tegendas.  
Illi cura fuit generosi plena pudoris.

Ferrea nam fuerant quæ nunquam pectoris imi  
Clastra, sibi extinctæ rigido contingere ferro  
Nec medicum, nec chirurgum bene prouida fuit:  
Viscera non, non exta adimi: putredinis expers  
Balsamino & reliquum perfundi corpus oliuo,  
Seu potius cedri, myrræ, stactæue liquore.

Quod quondam Nili cupiere per ostia reges;  
Nostra interdicto, supremis anxia verbis,  
A quoquam fieri vetuit, votoq; polita est:  
Verborum haud ignara Dei, dicentis Adamo;  
Es cinis, in cineremq; iterum redigeris inanem.

Sed quid ego his tantis nequicq; luctibus insto?  
Et lacrymis alios, & memet sponte fatigo?  
Quin potius fero cum reliquis, quæ ferre lehoux  
Mens me sancta iubet, nulliq; inhibenda voluntas.  
Quæ quamvis votis raro sit congrua nostris;  
Recta tamen semper, nulli & non æqua piorum,  
Corde fideli, animoq; bono & paciente putanda est;  
Quem spes alterius recreet certissima vitæ.  
Verum alijs hæc uberioris tractanda relinquo.  
Sat mihi nunc iusto cupide indulgere dolori.  
Læta capant alij, & tantos minuentia luctus.  
Iam mœsto mibi mœsta placent: cano tristia tristis;  
Carminis ut maxii quoq; mœsta inscriptio, & ipsa

Nomi-

Nominibus multis tristissima tempora poscunt?  
Tempora plena malis, quibus heu grauiora supersunt  
Experiunda breui. quando omnia ubiq; locorum  
Talia sunt; mundi ut sit mirum non ruere alto  
Culmine compagem. usq; adeo regna omnia nutant:  
Usq; adeo nil non casum interitumq; minatur.  
Quid Satanas, Satanæq; Colax sacer Antichristus;  
Quid Satanæ flabri & furie, ranaq; loquaces  
Moliri paßim incipient, peragantq; patremq;  
Nō clamenes oculos habeat, talpæue necesse est,  
Qui nondum videat, seu velle videre recuset.  
Securi interea nos stertimus, indulgentes  
Luxuria, Baccho, Pluto, Veneriq; Gulæq;  
Hybris regna tenet fastu comitata superbo,  
Iampridem & celebres qui funditus eruit urbes,  
Regnaq; priuatasq; domos, populosq; potentes.  
Exsulat alma Charis, pietas, clementia, candore  
Virtutumq; fere iam nomina nuda supersunt.  
In quarum subiere locum discordia, gaza  
Non minuenda fames: sitis insaturabilis auri:  
Trux veri iusticq; odium: vincla omnia laxa  
Officij, disciplinæ, legum atque pudoris:  
Contemptus doctrinæ omnis rerumq; bonarum:  
Venalis cum voce manus, venalia iura:  
Pugnæ & clamores de lana sape caprina:  
Perfidia, improbitas, astorgia tætrica, frangit  
Quam flecti citius duro que pediore possit:

B 3

Mens

Mens prava; & vanis semel irritata susurris  
Suspicio nulla posthac placabilis arte:  
In linguis labrisq; natans, imi inscia cordis  
Relligo & ventosa fides: simulatio fallax  
Iactatrixq; sui: blanda & fida ore benigno,  
Re mentita Charis: non tantum gratia nulla  
Pro summis meritis, fidoq; labore bonorum;  
Verum etiam probra, & manifesta calumnia merces:  
Stupra impura, neces, furtæ, infamesq; rapinæ:  
Vis, fraus, proditio, & raro diurna tyrannis:  
In tantisq; stupor ( dictu lacrymabile ) morbis:  
Contemptusq; manus medicæ, inuictusq; veterus.  
Quidnam hic præsidij contra tot monstra, tot arma,  
Et tam multiplices, quibus vndiq; cingimur, hostes,  
Et fines intra patriæ laceramur & extra?  
Quæ spes esse potest rebus non dissona? quando &  
Regnorum capita alta ruunt, quis stantibus uni  
Spes innixa pedi, & vitro fulcimine freta  
Stabat adhuc, nutans quamuis, metuensq; futuri.  
Nunc prorsus iacet, & quamuis lugubria nondum  
Tempora, pœnarumq; dies, totiesq; Cometæ  
Confpecti urgerent; & tot noua sidera visa:  
( Quorum nemo tamen meminit ) licet ille celebris  
Fatalisq; orbi dictus procul annus abesset;  
Qui tamen intrepide volitantibus ingruit alis:  
Clamaret res ipsa sibi tamen esse negatum  
Stare diu: certasq; orbi iam instare ruinas.

In stat

Instat certe, instat uhemens cataclysmus, & ingens  
Tempeſtas, plus quam horrendis comitata procellis:  
Cuius & hoc catadupa fremunt in funere: felix  
Morte tua, ô felix iterum Elisabetha, nec iſti  
Diluicio, & miseri ſeruata doloribus æui.  
Qui ſapit inquirat ſummo ſtudioq; fideq;;  
(Non alio, unius quam Christi à nomine dictus;  
Diuini faculit verbi p̄euentibus unis)  
Inuentamq; ſemel iam nunc citus intret in Arcam  
Lamechidæ, cum coniugibus, cum prole tenella:  
Inq; hac ſe teclumq; regi, tutumq; ſoueri,  
Seruariq; petat. nihil illa triste reperta,  
Intrataq; ſemel. quæ viſ te excuſſerit inde?  
Interea tamen Ulrici miſerere ſenectæ:  
Atq; animo confirma aegrum, fractumq; dolore,  
O clemens, ô magne Deus: miſerere tuorum,  
Quos ſub p̄aſdio illius requieſcere, & alma  
Pace frui, pacisq; bonis, huic uſq; benignus  
Et facilis uoluisti: orbem circum vndiq; totum  
Dum bellī hæ furia exagitant: quibus omnia pror-  
Damnorū genera et ſpecies furialiter iuſſunt. (ſus  
Hunc nobis tucare Duce, patriaq; parentem,  
Et noſtrum commune bonum: quo ſoſpite ſalua  
Ipsa ſiet regio, & tranquilla in pace quiescat.  
Unius ex obitu (infelix eat omen in aurās)  
Quæ tam ſepe abitū; at quando reditura minatur.  
Quo viuo & Muſae hic viuant: & temporis illud

Quod

Quod superest, si quid superest, impendere tutæ  
Omne tuis Deus obsequijs, laudijs perenni  
Vnanimis sine fraude velint, sine murmure possint.  
Quin etiam Europe reliquias Deus Elisabethas,  
Magnanimosq; Duces, reges, fortisq; dynastas,  
Sub quibus hospitijs velut halcedonia quædam  
Grex Ecclesiæ sparsim obtinet hactenus, armis  
Armipotens defende tuis: tua regna tuere  
(Quod tandem facies certò vel certius ipse)  
Tot contra insidias, technas, vim, toxica, fraudes,  
Ipsijs & Satanæ stratagemata clandestina  
Et manifesta simul. quæ si non irrita reddas  
Tu solus, seruesq; tuos Deus: ilicet actum est.  
Ponite lugubres, mea carmina, ponite queslus.


F I N I S.






54

4447





Instat certe, instat vehemens ea  
Tempestas, plus quam horrenda.  
Cuius & hoc catadupa fremunt  
Morte tua, o felix iterum Eliseo,  
Diluvio, & miseri seruata dolere  
Qui sapit inquirat summo stupefacto  
(Non alio, unius quam Christi)  
Divini faculis verbi praecantibus  
Inuentamque semel iam nunc citare  
Lamechidae, cum coniugibus, o  
Inquit hac se tectumque regi, tutu  
Seruariisque petat. nihil illa triste  
Intrataque semel, quae vis te exire  
Interea tamen vtrici miserere  
Atque animo confirma aegrum, i  
O clemens, o magne Deus: mihi  
Quos sub praesidio illius requiri  
Pace frui, pacisque bonis, huc  
Et facilis voluisti: orbem circu  
Dum belli haec furiae exigitant:  
Damnorum genera et species fiducia  
Hunc nobis tueare Duccem, patrem  
Et nostrum commune bonum: o  
Ipsa siet regio, & tranquilla  
Unius ex obitu infelix eat omnes  
Quae tam sepe abitum; at quandam  
Quo viuo & Musae hic vivant



the scale to

gens  
llis:

c

cam  
s:

or-  
sus

ur.  
lud  
god